



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Ad Franciscum Barberinum Card. & S. R. E. Vicecancellarium. Ut Lucae Holstenii, Hamburgensis, Vaticanae Basilicae Canonici, & Bibliothecae Praefecti, IV. Non. Febr. An. M.DC.LXI defuncti, scripta in ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Vaticana tuas, huc longè iussa venire
 Munere ALEXANDRI Principis, auget opes,
 Nobilior poterat nec muneris auctor haberi,
 Nec munus poni nobiliore loco,

IN CAROLI I. *magnæ Britannia Regis,*
An. M. DC. XLVIII. V. Id. Febr. Lon-
dini capite plexi, necem.

Cerne lupæ geminos pendentes ubere natos:
 Romulus hic Romæ est conditor, ille Remus.
 Indè Caledoniæ præbentem colla securi
 Indigno CAROLUM respice supplicio;
 Et genus acre lupos terræ dic deesse Britannæ:
 Sævior est ipsis terra Britannia lupis.

A D

FRANCISCUM BARBERINUM

Card. & S. R. E. Vicecancellarium.

Ut Luca Holstenii, Hamburgensis, Vaticanae Basili-
cæ Canonici, & Bibliothecæ Præfecti, IV. Non.
Febr. An. M. DC. LXI. defuncti, scripta in lucem
proferat.

O Ccidit Holstenius, Graiæ Latiaëque Minervæ
 Artibus, Eois notus & Hesperiiis.
 Holstenius, quò non fuerat mihi carior alter,
 Nec posthac unquam carior alter erit.

In Angliâ Lupi nulli, assiduus venationibus stirpitibus excisi. Polyd. Nob.

Heu! Vaticanæ mecum plorate Camœnæ
Delicium vestri præsidiumque chori.
Illius imprimis studio defensa fideli
Religio madidis lugeat orba genis.
Grande decus columnenque sacri, Franciscæ, Senatûs,
Solari nostras perge tuasque vices.
Ede laboratas, quas celant scrinia, chartas,
Queis meliore sui parte superstes agat.
Vivitur ingenio, nec in illud ferrea quidquam
Inciso Lachesis stamine juris habet.
Sic bene de Musis, & religione merendo,
Laus tua, & Holstenii vita perennis erit.

ALEXANDRO VII. P. O. M.

Usitata SS. Patrum Conciliis comprecatione;

CUJUS SEDEM ET ANNOS,

de restituta valetudine gratulatur.

An. M. DC. LXVI.

Vivit Alexander, mendax quem fama negabat
Longiùs extremum ducere posse diem.
Vivit, & Albanos colles petit, Urbe relicta,
Incolumis: Clariæ solvite vota Deæ.
Vestra salus agitur; quæ nunc hoc sospite florent,
Incipient artes hoc moriente mori.
Hoc igitur faciles adeamus carmine Divos,
Carminè, quo sancti nos præiistis avi:
CUJUS Alexander SEDEM tenet, illius annos
Expleat, utque tulit, sic ferat Orbis onus.
Tu, cujus primùm auspiciis hæc inclyta Roma
Cælitibus leges terrigenisque dedit:

Tu